

Rauennas de antiquo ciuitatis statu scripserit : Paupertas inquit ibi cum diuitibus sub æqualitate uiuit : Vnus omnes reficit cibus : habitatio similis omnia concludit : nesciunt de penatibus inuidere : & sub hac degentes mensura : uicium fugiunt : cui mundus obnoxius est : Mitto reliqua quæ ille longiore profequitur epistola : quam Bonitendus suis commentariis inseruit : His auspiciis nata est Veneta ciuitas : per hos mores : per hæc studia augustam traduxit infantiam : his demum uirtutibus adoleuit & coaluit . Et quia ut reor abunde constat : quæ fuerint tanti Imperii initia : de prima eius administratione pauca referam . Nam in hoc quoque eos qui de rebus Venetis commentarios quosdam scriptos reliquere uariare uideo . Horum quidam tradidere consulari potestate ceptam esse rempu. administrari ab his qui Riuumaltum tenuere : Scribuntque Galienum Fontanam : Simonem Glauconium : & Antonium Caluum : qui per id tempus Patauii consules erant quum circa Riuumaltum fundari noua urbs ceppisset : consulari potestate primos omnium nascenti illi præfuisse . Fuerunt qui crederent his auctoribus ortam esse a Patauinis fugam : atque in hæc loca primo migratum ædificarique ceptum : Apud quosdam pro his Albertum Phalerium : Thomam Candianum : & Daulum Comitem reperio . Tertio ab urbe condita anno noui consules in biennium creati : Marinus Linius : Hugo Fuscus : & Lucianus Graulus : quidam hos quoque Patauio consulari potestate in Riuumaltum missos affirmant : ex quo aperte intelligi potest originem urbis Athilæ aduentum omnino præcessisse : Consules in tertium biennium creati . Marcus Aurelius : Andreas Clodius : & Albinus Maurus : qui hos secuti sint non reperio : At credibile est eam administrationis formam usque ad Athilæ aduentum permanuisse : Quibus temporibus quum iam circumiectæ insulæ incolæ ceppissent : Tribuni pro consulibus cepti sunt creati : Apud nonnullos scriptum reperio aliquanto post Athilæ aduentum id factum : ut anno circiter sexagesimo ab urbe condita tribunitia potestas ceperit in insulis haberi : ubi iam omnia frequentius incoherentur . De tribunorum creatione res primo est ut solet inter paucos agitata : Inde frequentissimo insulanorum conuentu decretum : ut in singulis insulis singuli tribuni crearentur essetque is magistratus annuus : suis popularibus ius diceret : seueraque animaduersione scelera uindicaret : Cætera uero quæ ad reipub. statum attinerent frequentissimo insulanorum concilio consultanda reliquere : Adhuc quæ scripsimus si quis recte omnia consideret ad originem urbis spectant : Hinc de eius infantia dicere incipiemus : Sic enim quibusdam scriptoribus uideo placuisse in quibus est Florus : ut incrementa urbis per partes quasdam humanæ uitæ distinguerent : infantiam : adolescentiam : & iuuentam : Tribunitia igitur administratio que origini iuncta est : infantia iure optimo nominabitur : De his igitur quæ interim domi forisque gesta sunt ordine dicemus : si prius illud lectori testatum reliquerimus : Longobardicis temporibus quæ in urbis infantiam inciderunt magna ex parte auctam ciuitatem : Nam ita sane accidit ut Venetis rebus adhuc Hunnico tumultu trepidantibus : Longobardi qui ab eo quæ longam barbam alerent ita nominati dicuntur : Alboino duce undecimo eius gentis rege Italiam ingressi Venetos inuaserrunt : quorum opes longe ante fractas primo aduentu oppressere : Quicquid enim continentis oræ fuit continuo suæ ditionis fecere : Maritimas uires quas haud utique contemptibiles esse nouerant tentare non sunt ausi : aut certe

Consularis  
administra  
tio

Tribunitiæ  
potestatis  
origo

De urbis in  
fantia

Longobar  
di